



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Guntramus C. 28. Martii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

28. Mart. VITÆ S A N C T O R V M . 163
omnes Boii, sed Angeli cantu festivo visi : illi sor-
didati, hi candidati : ut nosses illos funeri , hos
animi triumpho adesse. Ex Surio.

*Ad omnem temptationem, ad omnem tribulationem,
ad omnem denique cuiusque modi necessitatem, aperta
est nobis urbs configii ; sinus Matris expansus est, pa-
rata sunt foramina petra, patent viscera misericordie
Dei nostri. S.Bern. serm.7. Qui habit.*

S. G U N T R A M U S C . 28. Martii.

Qui Reges salvam majestatem , & regna sua
volunt, rectè arces ædificant , & propugna-
cula ; sed rectius iidem aras struunt templaque ; &
ad stipendia optimos præsidiarios , egentes evo-
cant. Inter hos meritò Regem GVNTRAMVM nu-
meramus, pulcherrimum Galliæ lilyum, & meritò
in Marianum hortum transplantandum. Regias
hic gazas omnes, vel in sinum pauperum, vel tem-
plorum adyta prodigus sparsit. Certavit verò cum
GVNTRAMO D E V S , nunquam non victor, si de li-
beralitate cum homine certamen sit. Et forte for-
tunâ somno, ad quem à venatione fessum perstre-
pentis rivuli susurrus invitaverat, aliquantum in-
dulgebat. Hic, qui pro dormiente vigilabat, armi-
ger , videt Dominum cum somno nescio quod
animalculum proflare ; ei cùm pontem ense regio
struxisset, aquas superavit, & proximo spelæo suc-
cessit , paulò pòst viam eandem relegens ore de-
nuò Regis se abdidit. Subinde hic evigilat , &
somnium de reperto thesauro narrat. Sed & armi-
ger subjicit , quæ vigilans somniaverat. Ergo in
specum itur, & ingens auri vis eruitur , sed omnis
iterum cælo, hoc est templis , & egenis transcri-
benda. Quo factum, ut sicam eorum, qui parri-
cidas

cidas manus afferre regi vel epulo sacro accum-
benti, vel ad matutinas preces eunti parabant,
semper Numē excusserit prodideritque. Tam fir-
ma, ô Reges, munimenta templa sunt, tam fidi, si
admittitis, corporum vestrorum custodes paupe-
rum sunt cohors! *Ex Paul. Diac. & Greg. Turon.*

*Vsura mundi centum ad unum : Deus unum accipi
ad centum : & tamen homines cum Deo nolunt haben
contractum. Sunt forsan de cautione solicii? Quare?
homo homini exiguæ chartulae obligatione constringi-
tur? Deus tot & tanti voluminibus cavit, & debitor
non tenetur? S. Pet. Chrys. serm. 25.*

SS. ARMOGASTUS ET SATYRUS.

29. *Martii.*

Ambos Geiserici Arriani Regis furor affixit,
etsi SATYRVS regiae domûs Procurator, AR-
MOGASTVS Comes esset. Et SATYRO quidem, in
ad perfidiam regis mores suos etiam ipse compo-
neret, ob oculos ponebantur officii, bonorum, &
liberorum spoliationes, magna semper apud auli-
cos momenta: ipsa adeò conjunx ultimæ sortis
homini, & qui camelos agebat, ad ludibrium jam
fuerat destinata. Sed facile despicere hæc omnia
poterat SATYRVS, qui oculos cælo defixerat. Illa
expugnare ferreum poterant animum: supplex
marito conjunx & juncta matri liberoru[m] cohors,
firmissima acies; structæ deinde ante pedes insi-
diæ, infans, inquam, abjectus, minimus ille, sed
maximus apud patrem orator; confusæ denique
omnium in unum lacrimæ gemitusque, potentissi-
ma apud domesticos tela. Perstigit tamen incon-
cussus SATYRVS, & objurgavit etiam intempesti-
vam suorum pietatem, & quæ impium in D[omi]N[um]
esse